DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

Lumbricis Inteſtinorum Teretibus.

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

Lumbricis Inteſtinorum Teretibus;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, S.S.T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI conſenſu,

Et nobiliſſimæ FACULTATIS MEDICÆ decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini ſubjicit

JOANNES IRVINE TROUP,

MARYLANDINENSIS,

SOC. REG. PHYS. EDIN.

SOC. HONOR.

Foràs, lumbrice, qui ſub terrâ erepſiſti modò.

PLAUT.

Ad diem 12. Septembris, hora locoque ſolitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT ADAMUS NEILL CUM SOCIIS.

M DCC XCIII.

Avunculo

HENRICO NICOLS,

Armigero,

BALTIMORIENSI,

qui

illi,

ex qu tempore mortuus eſt Pater,

providendo, quantùm ipſe poterat,

ut mala ille evitaret et bona ſequeretur,

veri Patris vice functus eſt,

has

Medicinæ Studiorum

Primitias

pertenue,

Animi acceptorum Beneficiorum grati

Signum,

ea, qua par eſt, Reverentiâ et Obſervantiâ

D. D. CQUE

AUCTOR.

Digitized by the Internet Archive
in 2020 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b31969057

Itemque

PRÆCEPTORI SUO DILECTISSIMO

JACOBO DAVIDSON, M. D.

MARYLANDINENSI,

Inter Cives ſuos Medicinam

proſperrimè facienti,

perexiguum hoc

Animi grati

Signum

ſummâ obſervantiâ

offert

AUCTOR.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

Lumbricis Inteſtinorum Teretibus.

VERMES, qui in ventriculo, inteſtinis, aliiſque partibus non hominum ſolùm, ſed cæterarum etiam animantium quæ corporum fabricâ homines referunt, ſæpenumero hoſpitantur, diverſa nomina, unuſquiſque ſuum, ex diverſa eorum ſpecie externa adepti ſunt. Qui autem ſæpius conſpecti ſunt, ii ad

unam aliamve quatuor ſpecierum pertinent. Harum ſpecierum vermibus nomina, unicuique ſuum, ſunt *Tæniæ*, *Lumbrici*, *Aſcarides*, et *Cucurbitini*. Ex his verò, cucurbitinos eſſe internodia tantummodo tæniæ, nonnulli opinantur.

De quibus vermibus, hac in diſputatione, diſſerere ſtatuimus, ii *lumbrici* ſunt *teretes*.

Hujus generis vermes in multis, præter hominum genus, animantibus inventi ſunt; in canibus nempe, tigribus, lupis, leporibus, ſuibus, equis, vitulis, et in quibuſdam quidem piſcibus.

In aliis corporis partibus, præter ventriculum et inteſtina, lumbrici inhabitant, *pericardio*, nimirum, pulmonibus, hepate ductibuſque hinc pertinentibus, renibus, urinæ veſica; et interdum, ut dicunt medici, in ipſo cerebro, quod erodendo fœdant.

Hæ

Hæ res, licèt ſuapte naturâ miræ et ferè quidem incredibiles ſint, ab auctoribus tamen fide tam præclaris enarratæ ſunt; ut, itane ſint, inexercitatos, velut me, juvenes ambigere minimè deceat. Monro, cui, ne rerum ſpecie decipiatur, omnia, quæ ad animantium corpora pertinent, rimari oculatis quaſi manibus et perveſtigare mos eſt, quotannis, ut de vermibus ab errore magnopere caveant audientes, hujuſcemodi verbis præmonet: "Si, inciſis "cadaveribus, in cavis corporis ulla, quæ ver-"mes externa ſpecie protinus ferme referant, "conſpicemur, minimè inde in re eſſe ver-"mes concludendum eſt, niſi acribus quibuſ-"dam, ex iis quæ inſtimulant, priùs admotis "ſemet manifeſtè moveant."

Si, his ſtimulis admotis, id quod vermem ſimulat, ſe non moveat, quàm cautiſſimè et curioſiſſimè quidem incidendum eſt, quò organa, ſi talia quæ adſint, conſpicemur. Hoc enim niſi faciamus, vermiſne ſit id vermem ſi-

mulans,

mulans, an tantummodo animans quædam vermis ſpeciem præ ſe ferens, putredinis quaſi proles, quæque in cavum poſt mortem aliquo modo introlata ſit, certò ſcire non poſſumus.

Subſtantia, quæ vermem referat, fortaſſe ſit tantummodo ſanguinis gluten, quod a particulis rubris diſſociatum, in vermis formam figuretur. Vero profectò haud abſimile eſt, ſanguinem effuſum, et hoc modo figuratum, poſſe inflammationem et ſuppurationem quidem concitare, atque eas efficere eroſiones, quarum efficientes vermes ſint exiſtimati. Hoc in cerebro interdum accidere, multo ſaltem veriſimilius eſt, quàm vermes id organum, vita ſuperſtite, erodere. Aliquis enim, licèt leviuſcula inflammatione afficiatur cerebrum, aliquandiu forſitan vitam protrahere poſſit: ſed animo concipere vix, et ne vix quidem, poſſumus, vermes, dum etiamnum vivit homo, cerebrum erodere. Partem cerebri interdum reipſa ſuppurare, quæ tamen mortem non il-

lico

lico afferat, ſatis ex inciſis cadaveribus conſtat.

His de animantibus et diverſis humani corporis partibus, in quibus a diverſis auctoribus reperti ſunt lumbrici teretes, breviter dictis, nunc, quales hi ſint, deſcribere conabimur; injectâ priùs mentione erroris, in quem incidit Linnæus, qui hos vermes cum vermibus communibus terreſtribus eoſdem eſſe exiſtimavit.

Lumbrici teretes nullâ conſtante longitudine ſunt. Plerumque a novem ad duodecim digitos longitudine æquant; raró duos pedes excedunt. Verùm rari tamen memorantur vermes, quibus multo major erat longitudo. Vermem ſex pedes longum vidiſſe fert Swietenius; tres, Thomson; et Baglivius enarrat, juvenem Romæ vermem triginta pedes longum dejeciſſe. Monſtrum hoc horrendum fortaſſe erat ſpecies tæniæ, quæ in longitudinem

nem vix, niſi iis qui viderint, credibilem interdum increſcit.

Craſſitie lumbrici raró calamum triticeum ſeu anſerinum excedunt. Eorum autem craſſities, æquè ac longitudo, cum numero variabit; quo enim numero plures ſunt, eo tenuiores et breviores.

Colore plerumque albidi ſunt. Interdum tamen ſubrubri ſunt, ob rubrum fortaſſe ſanguinem, quem ex eroſis, quibus hic fluit, inteſtinorum vaſculis exſuxerint.

Alicui incurioſè contemplanti læves apparent; ſed accuratiùs explorati, annulos vix conſpicuos pellucida corpora circumplexos exhibent.

Si oculis luci obverſis penduli opponantur, albidus quaſi funiculus, per medium in longitudinem pertinens, clarè conſpicitur. In

una

una extremitate illis eſt oſculum triangulum, ei profectò haud abſimile quo hirudines inſigniuntur.

Teres inteſtinorum lumbricus et terreſtris, quos ad eandem ſpeciem pertinere exiſtimavit Linnæus, compluribus notis ſpecialibus, non externis ſolùm, ſed etiam internis, unus ab altero, diſtinguuntur. Extrinſecus formâ inter ſe diſſident. Lumbricus enim terreſtris, aliter atque is inteſtinorum, ſubtus nonnihil planus eſt; et pedibus, duplice ordine diſpoſitis, inſtruitur. Inteſtinorum lumbrici multo, quàm terreſtres, albidiores ſunt; et alicui digitis contrectanti duriores aliquanto, et diſtentiores.

Anatomico intus incidenti et rimanti adhuc magis inter ſe diſſimiles hi vermes apparent. Quòd enim ad organa attinet, quae procreationi inſerviunt, lumbrici inteſtinorum ſexu omnino diſtincti ſunt; dum terreſtres

ſexu

ſexu incerti, maſculi an fœminae ſint, ſemimares exiſtunt; quorum unuſquiſque in proprio corpore partes, et ad fœcundandum et concipiendum aptas, poſſidet. Parens ſexu ambiguus prolem item ambiguam, progeniem abominatam ſexu itidem incertam genituram, procreat et parit. In his inſuper vermibus, ſecus ac in illis, rubrum ſanguinem interdum conſpicamur.

Aliae, ſi peropus eſſet, notæ, quibus hos vermes ad diverſas utique ſpecies, utrumque ad ſuam, pertinere probaretur, memorari poſſent; ſed de ſingulis fuſè vel preſſè quidem dicere, hujuſmodi diſputatiunculae brevitati prorſus diſconveniret. Jam dictis ſufficiat addere, lumbricos inteſtinorum et terreſtres ſpeciatim ſatis diſtingui, eo quòd loca inter ſe quàm diſſimillima habitant. Nemo enim, quantùm ſcio, lumbricum inteſtinorum extra corpus; vel intra, terreſtrem, hucuſque certò conſpexit. Eſt enimvero veriſimillimum,

inteſtina,

inteſtina, præ calore, huic exitio futura eſſe; illi humum, præ frigore. Alimentum porrò, quo ab his vermibus veſcitur, adeo diverſum eſt, ut humo lumbrici inteſtinorum inediâ brevì perirent, inteſtinis terreſtres.

Lumbrici ex inteſtinis interdum ſingulatim dejiciuntur, interdum catervatim. Eadem modò ſolitarii habitant, modò cum alius vermibus ſpeciei, ſæpius autem cum *aſcaridibus*, quàm cum tænia aut cucurbitinis, conſociati. Interdum, licèt rarò, omnium ſpecierum vermes unà dejecti ſunt.

Inciſis cadaveribus, raró in craſſioribus inteſtinis inveniuntur lumbrici, ſed ferè ſemper in tenuioribus.

His aſtrictè dictis de inteſtinorum lumbricorum forma, diſſimilitudine inter eos et terreſtres, et diverſis animantium partibus quibus hoſpitantur;

tantur; pauca nunc, etiamſi fortaſſe nihil novi, de eorum generatione dicam. Quæ, hac de re, auctores in apertum protulerunt, ea ficta potiùs, quàm experientia firmata videntur; et multùm equidem timeo, ne ea, quæ prolaturus ſum, æquè incerta exiſtimentur. Verùm, etiamſi ita ſit, tamen, quippe cùm medicos, ubicunque terrarum orbis medicinam faciant, imprimis autem unum, cui haud multò pòſt contingat medicinam in regione, ubi verminatio, præ cæteris ferme morbis, infantes et pueros infeſtos habet, facere, rem ſummi momenti, quamvis cognitu utique difficilem, explicare ſumma ope niti oporteat; meis fortaſſe vanis conaminibus ignoſcetur, eoque magis, quòd, ut hoc facerem, non juvenili in apertum inania proferendi vanitate adductus ſum.

De vermium origine varia conjectârunt varii auctores. Exiſtimant nonnulli, eorum ſemina

mina eſſe in humano corpore primigenia, et in fluidis generari. Verùm hæc enimvero opinio eo infirmatur, quòd in omnibus hominibus vermes non inveniuntur. Multi enim, per totam vitam, vermes nunquam dejecerunt; et unus ſæpenumero e familia hujusmodi animantibus prædæ eſt, dum alii, per vitam, nihil ex his mali capiunt. Quinetiam, aliter ac accideret, ſaltem ſi hoc verum eſſet, vermes infantes abs quo tempore lacte depelluntur, et pueros annum ætatis nonum ſive decimum agentes, potiſſimùm moleſtos habent; etiam profectò eos, in quibus, ante depulſionem a lacte, nulla harum animantium ſigna apparebant.

Raro inteſtina inhabitant vermes, dum infantes ſolo matris lacte aluntur; et nonnulli profectò, in horum inteſtinis priùs inveniri tetras has animantes, quàm a lacte depulſi ſint, negaverunt. Alii autem medici, fide profectò

profectò integerrimi, infantes etiam nondum a lacte depulſos interdum infelicitare, certiores nos faciunt.

Utcunque verò hæc res ſe habeat, tamen, cùm non omnes, quotquot ſunt, homines verminent, idcirco vermium primordia minimè in fluidis humani corporis partibus exiſtere prorſus exiſtimamus.

Putredo cauſa vermium procreatrix, a quibuſdam auctoribus eo putatur, quòd nonnullæ, dum putreſcunt, ſubſtantiæ vermiculantur.

Vermes autem, quorum altrix putredo eſt, aliter atque teretes inteſtinorum lumbrici, genitalibus non inſtruuntur.

Mucus quoque, propterea quòd magna ejus quantitas eſt in dejectionibus eorum qui per-

quam

quam vermiculantur, cauſa vermium habitus eſt. Is autem harum animantium effectus potiùs, quàm efficiens, videtur; et inſolita ejus quantitas vermibus jam generatis, et villoſam inteſtinorum tunicam roſione irritantibus, efficitur. In inteſtinis enim, verminatione quidem nulla, ſecernitur mucus, qui non ſolùm ea ab acritudine fæcum muniat, ſed harum etiam deſcenſum faciliorem reddat. Neque profectò, ſaltem ſi rerum inter ſe ſimilitudine ratiocinemur, omnino improbabile eſt, mucum, qui in verminantium dejectionibus conſpicitur, ab ipſis vermibus partim ſecerni; tardæ enim cochleæ et terreſtres etiam vermes mucoſa, ubi repſerint, veſtigia relinquunt. Ejuſdemmodi quoque muco oblinunt hirudines vaſa, quibus aliquandiu cuſtoditæ ſunt.

Quinetiam depravata cibi concoctio vermes efficere exiſtimata eſt; neque profectò, quin hos aliquatenus ſaltem efficiat, dubitari poteſt.

Etiamſi

Etiamſi enim non ſit cauſa unde generentur; id profectò quod probant plurimi, qui, licèt peſſimè concoquant, nihilo magis verminant; tamen, ut magis affatim generentur, vel jam generati magis vigeant, facere poteſt. Concoctionem verminantibus non ſemper corrumpi, eo conſtat, quòd hi modò, ut ſolent ſani, cibum appetunt; modò, velut ſi ſolito meliùs concoquerent, ſunt voraces admodum.

Præter depravatam cibi concoctionem, alia ſunt plurima quæ verminationi favent. Hujus generis ſunt diæta, corporis habitudo, agri ſolum, aliaque quot his conſimilia. In quibuſdam, præ cæteris, regionibus non ſolùm infantes, ſed adulti etiam, vermibus opportuniores ſunt. Oppidani, ut experientiâ conſtat, minùs et rariùs verminant, quàm ruſtici; qui cibo imbecilliore, ex terræ frugibus, iiſque etiam crudis, magna ex parte conſtante, victitant. Quinetiam veriſimile eſt; quæcunque

quæcunque corpus debilitant, aër velut humidus, et morbi prægreſſi, ea verminationi favere. Homines enim, qui his cauſis ſunt debiles redditi, multò ſæpius, quàm ii quorum corpora his conſimilibuſve non infirmata ſunt, vermes dejiciunt.

Verùm minimè tamen mihi in animo eſt, affirmare, homines corpore incolumes, quique cibo ſalutari et nutriente vivunt, nunquam vermiculari; cùm præſertim ab iis, quibus ſunt corpora firmiſſima et incolumitas quidem, vermes haud rarò dejiciantur.

Lumbrici, noſtra ſaltem opinione, nunquam per *rectum*, ut opinantur nonnulli, inteſtina introeunt. Multò minùs improbabile eſt, eorum ova unà cum cibo in ventriculum et inteſtina invehi; hìcque calore viveſcere, eodem fortaſſe modo quo ova gallinacæa, dum iis incubant gallinæ. Hanc opinionem, quippe

quippe cùm veriſimilis ſit, et nulla alia hactenus probata credibilem verminationis rationem reddat, argumentis quibuſdam firmare aggrediemur.

Vermes ex ovis in ventriculum et inteſtina introlatis enaſci, probabile reddunt complura, in primis ea modò dicta, quæ, ut verminent inteſtina, efficiunt. Calidæ regiones, quàm frigidæ, eorum generationi magis favent; propterea fortaſſe quòd cibus, quo a vulgo hominum ibi vivitur, maxima ex parte conficitur e frugibus, quas etiam non coctas edunt, et fructibus, quos haud quidem raró immaturos cupienter devorant.

Quibus anni temporibus vermibus maximè ſcatent inteſtina, ea calidiſſima ſunt. In Marylandia maximè verminoſos eſſe homines Julii, Auguſti et Septembri menſibus obſervavi; cùm, quàm aliis anni temporibus, fruges

fruges crudæ, et immaturi fructus magis affatim eduntur.

Ova, unde enaſcantur vermes, in inteſtina unà cum crudis frugibus et immaturis fructibus invehi, adhuc veriſimilius redditur; eo, quòd ibi ruricolæ et ÆTHIOPES, qui cibo ex his maxima ex parte confecto victitant, quàm oppidani et ALBI, vermibus magis ſcatent. Nonnullos profectò fructus hæc ova continere, valde probabile eſt; quippe cùm in quibuſdam vermes, teretibus inteſtinorum lumbricis utique ſimillimi, inventi ſint. In pomis enim haud raró conſpicui ſunt vermes, qui et formâ et externâ fabricâ lumbricos inteſtinorum multùm referunt: neque profectò vero abſimile eſt, utroſque ad eandem ſpeciem pertinere; cùm, Sextili et Septembri menſibus, magnam pomorum immaturorum vim infantes et pueri edant; imprimis ii NIGRORUM, qui vermibus maximè ſcatent.

Cur infantes Æthiopum, quàm Alborum, magis verminent, rationem reddere haud difficile eſt. His enim a parentibus interdicitur, ne fructus immaturos, et crudas terræ quaſlibet fruges edant; dum illi, prohibente nemine, vel ſaltem parentibus ne hinc periculum capiant parum providentibus, verminoſis hujuſcemodi fructibus frugibuſque cupienter veſcuntur. Hinc infantes verminare, ne quidem ipſi Nigri ignorant. Quoties enim, hoc anni tempore, infans de ventriculi ægritudine et inteſtinorum verminibus queritur, mater quæ propriâ ſapuit experientiâ, vermibus rodi inteſtina, prædivinat; et profectò vermes paucos poſt dies dejecti, quàm aſſumptus eſt abſynthii Romani ſive *tanaceti* ſuccus, aliave quæ vi vermium deletrice pollent, minimè vanam fuiſſe ejus prædivinationem, nimis demonſtrant.

Infantes puerique rure, quàm urbe, vermibus magis infeſtantur, eo, ſine dubio, quòd il-

lic herbas crudas fructuſque immaturos devorandi ſæpius præbetur occaſio.

Ceraſa, et fortaſſe haud immeritò, efficere, ut vermibus ſcateant inteſtina, dicuntur. Verùm vermium tamen ova haud tam ſæpe continere, quàm poma, ut credam eo adductus ſum; quòd inſecta neque tam multigena, neque tam ſæpe, ceraſos, quàm malos, arrodunt; quòdque, Maio Junioque menſibus cùm matureſcunt ceraſa, quàm pomifero Autumno, inteſtina multo minùs rariùſque verminant. Etiamſi verò ita ſit, tamen ceraſa eodem modo, quo fructus alii, et herbæ quælibet non coctæ, vermium ovis nidum præbeant; cùm præſertim et in illis, quamvis rariùs, conſpiciantur vermes, iis profectò omnia conſimiles, qui mala ambedunt.

Vermes ex ovis enaſci, quæ unà cum cibo in ventriculum introferuntur, adhuc veriſimilius eo redditur, quòd in tenuioribus inteſtinis

ferè

ferè ſemper inveniuntur. Hæc enim, quippe quæ ſerpentino quaſi reptatu deſcendant, et liquidiora quàm quæ craſſioribus inſunt inteſtinis contineant, ovis idoneum, quo viveſcant vermiculi, nidum, et his aptum, quo poſtinde increſcant, domicilium præbent. In craſſioribus autem inteſtinis multo rariùs conſpiciuntur vermes. Hæc enim, præterquam quòd pauciores gyros habent et magis diſtenduntur, ſolidiora continent; eamque ob rem, minùs ſunt idonea, quibus viveſcant vermiculi ovis latentes, et nutriantur jam vivi.

Hìc ab aliquo quæratur, quo modo a vermium ovis vi ſucci *gaſtrici* ſolventi obſiſtatur. Ad quæſitum reſpondere poſſumus, ſuccum *gaſtricum* nihil, cui, ut vermium ovis ineſſe credimus, etiamnum inſit vitalitas, ſolvere.

His de modo, quo in inteſtina introferantur vermes, breviter quidem pro rei magnitudine, ſed, pro diſputationis inauguralis longitudine, aliquanto

aliquanto fortaſſe uberiùs dictis, ad practicam rei partem progrediemur. De re enim adeo recondita, quamque ad explicandam uberior rerum, quàm noſtra, ſcientia opus eſt, plura dicere, nos in circuitum nimis longum, et infructuoſum fortaſſe, abduceret. Cùm ita ſit, hac parte iis relicta quibus ſit ingenium noſtro acrius, quibuſque de ea plura obſervandi oblata ſit occaſio, ea recenſibimus ſigna, quæ vermes concitant, eaque medicamenta quibus hi ex inteſtinis eliminàri poſſunt. Hæc enim rei noſtræ pars ad utilitatem fructuoſior eſt, quàm ratiocinatio, etiam quæ rebus ipſis nitatur.

In cauſis morborum tractandis in memoria nobis tenendum eſt, quæ GREGORIUS, medicus apprimè ſagax et auctor concinnus, hiſce verbis dixit: "Ad has verò detegendas cau-"ſas, multis et accuratis obſervationibus, et "cauta admodum et ſobria opus eſt ratiocina-"tione."

ENU-

ENUMERATIO SIGNORUM.

Ea enarrare ſigna, quæ vermibus inteſtina ſcatere indicant, ſemper habitum eſt in primis difficile; nequedum proprium ullum novimus ſignum, quòd, vermes necne inteſtinis inſint, liquidò oſtendat. Verùm ſiquando tamen unà adſint plurima, ex malis quæ vermiноſos afficiunt, nullus profectò relinquetur dubitandi locus, quin vermibus inteſtina ſcateant.

Ex ſignis quæ primùm apparent, in primis memoranda eſt mutabilis cibi appetentia. Verminans modò nauſeat; ventriculo dolet, potiſſimùm *cardiâ;* acidum quid eructat; et, quamvis rariùs, os ei ſalivâ ſolito uberius fluit: modò, id profectò quod ſæpius accidit, cibum avidè, et ferme inſatiabiliter quidem appetit. Deinde tumeſcit abdomen, tenſum fit et du-

rum;

rum; ſimulque, circa umbilicum, inteſtina magno cum dolore ſæpe torquentur. Contrectante aliquo dolet admodum abdomen: nunc compreſſa eſt alvus; nunc, quod ſæpius accidit, multùm fluit; et, inter deſidendum, mucus ſanguineus quantitate haud parca, cum dolore gravi et vermiculatione, dejicitur.

Quòd ſi aſtricta ſit alvus, inteſtina murmurant admodum: anima fœtet: fauces ſiti importuna et inſedabili areſcunt, etiamſi, potiſſimum noctu, ſalivâ os ubertim fluat: lingua turpificata eſt: cutis exaſperatur quaſi furfuroſa, et prurit.

Urina albida eſt, ſpumoſa, interdum pallida; et difficulter atque cum dolore redditur.

Facies palleſcit admodum; hebeſcunt oculi, eorumque pupillæ uſque eò diducuntur, ut viſus quadantenus obſcuretur; et orbitæ

colore

colore ſubvirides ſive ſubcœruleæ palpebras circumſident: naſus præter ſolitum impalleſcit: alæ narium et labrum ſuperius intumeſcunt; et illæ intoleranter adeo pruriunt, ut verminoſus eas uſque eò vellicet identidem, ut ſanguis effluat.

Simul vitalibus, aliiſque organis plurimis laborant verminoſi. Animam crebrò et difficulter accipiunt et reddunt; continenter fermè tuſſiunt, ſed nihil tuſſiendo exſcreant; lateribus dolent, dolent itidem capite; vertigine afficiuntur; iis tinniunt identidem aures; arteriæ micant inæqualiter, atque haud rarò manifeſtè intermittunt; et cor exercitato quidem leviter corpore perquam trepidat.

Urgentibus his ſignis, vermiculatus, etiamſi complures horas cubuerit, obdormiſcere nequit; et, ſiquando obdormiverit, expergiſcens plorat aliquamdiu et ſuſpirat, haud ſecus ac ſi dolore afficiatur. Inter ſomnum

dentibus

dentibus frendet ; ſemetque huc illuc in lecto jactat. Haud rarò ſenſus alicujus inteſtina quaſi rodentis ſomnum ſubitò excutit. Hujuſmodi ſigna terrificis, ut videtur, efficiuntur ſomniis, quæ verminantes, quotquot ferme eunt noctes, inquietant et exagitant.

Vermes, corpus debilitando, eos, in quorum inteſtinis hoſpitantur, plurimis morbis, imprimis ſpaſticis, obnoxios reddunt. Hujus generis ſunt morbus comitialis, chorea Sancti Viti, *catalepſis*, *tetanus*, linguæ aliarumque interdum partium nervorum reſolutio, et nonnunquam, ut certiores nos facit exercitatus Homius, inteſtinorum *volvulus*.

Uno ex his morbis aliove, et continuato ferme dolore confectus verminans, *hectica*, demum, febre afficitur ; quæ, vel die veſperaſcente, vel noctu, ſtato circuitu ingràveſcit, et,

in propinquo eſſe mortem, haud mendax præ-nunciat.

DIAGNOSIS.

Morborum, quibus obnoxium exiſtit hominum genus, nullum, quàm verminationem, pluribus notis inſigniêrunt medici. Harum verò nulla eſt, quin hujus cum alio quodam morbo ſit quadantenus communis, præter vermes per os vel per anum inteſtinis expulſos.

Etiamſi verò verminatio ſit morbus admodum ambiguus, necdum aliis, qui ſignis eam multùm referunt, ſatis dignoſcatur, tamen Homius præclarus eſt dignus apprimè, quem ſummis laudibus oneremus; quippe qui eam et alios, quibus ei ſit ſimilitudo, morbos internoſcere maximo opere niſus ſit. Hic auctor

ſigna

ſigna vermium eſſe minimè fallacia, narium alas tumidas, labrum ſuperius vicinaſque genarum partes tumefacta, nares ſolito dimidia ferme parte contractiores, prorſus exiſtimat. Hiſce verbis ipſe loquitur: "This diagnoſtic "is certain, as I have truſted to it chiefly "ſince that time, and it has faithfully ſerved "me *."

Quamvis hæc ſigna, ægrotum, in quo apparent, vermiculari veriſimillimum profectò reddant, utique tamen verminare, certiores medicos minimè faciunt; ſæpe enim ſcrofula affectis perquam tument non ſolùm alæ narium, ſed ſuperius etiam labrum. Quòd ſi, præſentibus his ſignis, neque ex inſpiciendo neque ex amicis percunctando ſit, quare ægrum ſcrofula affici ſuſpicemur, vermibus ſcatere inteſtina, nòbis ſaltem judicibus, credatur. Erit autem, cur verminare aliquem adhuc magis

* Vid. *Clinical Experiments.*

magis opinemur, ſi alæ narium pruriant admodum ; ſi, id quod interdum accidit, liquidum aliquid purulentum ex ano dejiciatur ; ſi æger ſomniis horrificis exagitetur ; ſi ſenſu alicujus inteſtina perrodentis ſomno ſubitò expergiſcatur ; et, denique, ſi inter ſomnum dentibus frendeat.

Hydrocephalo interno verminationem dignoſcere, adhuc magis difficile eſt. Whytius, medicus apprimè ſagax, ubi de hydrocephalo interno diſſerit, ait, hunc ab illo morbo internoſci interdum non poſſe ; cùm præſertim eadem ferme ſigna utriuſque communia ſint. In utroque enim æger dentibus frendet ; nares carpit ; ex ſomno ſubitò expergiſcitur ; ſomniis horrificis inquietatur ; oculi item hebeſcunt, eorumque pupillæ diducuntur ; dolet perquam caput, dolet etiam abdomen.

Verùm internoſci tamen poſſunt morbi, animum ad ſedem doloris, et ſigna quæ comi-

tantur, advertendo. Verminoſis enim dolet totum caput, licèt obtuſiùs, et inſolita vertigine afficitur; hydrocephalicis dolet una tantummodo pars, modò occiput, modò ſinciput ſupra oculorum orbitas, neque raro indè huc dolor, vel uno tempore ad alterum, dictis citiùs tranſvolat: his conſtantior eſt dolor et æqualior; illis remittit identidem, et, interjectis temporibus, ingraveſcit.

Signis quoque aliis, quibus notantur, morbi, de quibus hìc differitur, inter ſe aliquatenus differunt. Hydrocephalo urgente, alvus pertinaciter compreſſa eſt, uſque eò ut catharticis quidem medicamentis moveri nequeat; rodentibus autem inteſtina vermibus, plerumque fluit, et mucus parca haud quantitate dejicitur: verminoſis, raro autem hydrocephalicis, tumet abdomen, et, comprimente aliquo, dolet: vermibus inteſtina rodentibus, primùm afficitur abdomen, deinde aliæ partes;

urgente

urgente hydrocephalo primùm afficiuntur aliæ quædam partes, deinde abdomen: hydrocephalos internus infantes pauciores plerumque annos natos afficit, quàm qui vermiculantur: hydrocephalici ſeriùs ociùs ſtrabones evadunt, neque, niſi in longitudinem porrecti, incumbere poſſunt; verminoſi rariſſimè ita, ſi unquam.

Hydrocephalos provectus verminatione facilè dignoſci poteſt. In illo enim morbo, ſecus ac in hoc, arteriæ tardè, et inæqualiter micant; pupillæ oculorum paulatim dilatantur; aliaque ſimul ſigna cerebrum compreſſum manifeſtant.

Certiores nos faciunt auctores, diverſas vermium ſpecies ſigna, ſua quamque, edere. Lumbrici, aiunt illi, tormina et graviſſimos circa umbilicum dolores, neque raró, præcipuè in teneris infantibus, morbi comitialis

impetus

impetus efficiunt; hæc autem ſigna rariſſimè edunt tæniæ.

Verùm tænias penetralibus ineſſe, ſatis ſuperque monſtrant fruſtula exalbida dejecta, ſeminibus cucumeris conſimilia; edacitas inſolita; ſenſus alicujus ſemet in abdomine volventis.

Aſcarides, ut certiores nos facit HEBERDENUS, produnt teneſmus, atque anus pruriens admodum et tumens; utpote profectò mala, quæ, quoties manifeſtè adſint, ſemper efficiunt.

RATIO QUORUNDAM SIGNORUM.

Omnium ſignorum, quæ enarravimus, rationem reddere, in brevi hujuſmodi diſputatione

tione non poſſumus. Cùm ita ſit, ad ea tantùm advertemus animum, quæ lucidiſſimè poſſint explicari.

Ventriculi et vicinarum partium dolor,—vermibus ventriculum et inteſtina, tenerrima utique organa, perrodentibus attribuendus eſt.

Nauſea, vomitus, aliaque depravatæ concoctionis ſigna,—oriuntur ex debilitate ventriculi, et ſucco fortaſſe *gaſtrico* corrupto vel depravato; quæ utraque vermes, ventriculum irritando, efficiunt.

Abdomen tumidum eſt et *tenſum,*—idcirco quòd inteſtina catervis quaſi vermium conferta ſunt.

Murmurant inteſtina,—quòd vermium turmæ, ne deſcendant fæces, obſtant; et igitur

aër,

aër, quò minùs deorſum effugiat, impeditus, ſurſum, qua data porta, identidem cum vaſto murmure erumpit.

Edacitas,—qua ad ſemet ingurgitandos ſæpiſſime ſolicitantur verminoſi, defectu nutrimenti efficitur. *Chylo* enim a vermibus edacibus priùs hauſto, quàm a vaſis ſorbeatur, et in vivum invehatur ſanguinem, unde corpori nutrimentum ſuppeditetur, famelicus verminoſus, bruto quaſi appetitu ſolicitatus, alium atque alium cibum, quo reficiat corpus inanitate confectum, deſiderat.

Debilitas et *faciei pallor*,—collapſis extremis arteriis ob ſanguinis defectum, quem effecerit inopia *chyli*, ſunt tribuenda.

Animæ fœtoris—cauſa eſt vel excrementum vermium, vel fæces vermiculati ipſius ſolito diutius in inteſtinis morantes.

Tuſſis, chorea Sancti Viti, *impetuſque morbi comitialis*,—ex miro pendere videntur conſortio, quod, nervorum interventu, ventriculo et inteſtinis eſt cum omnibus aliis corporis partibus. Ob hoc enim conſortium, ventriculo et inteſtinis inſolito ſtimulo diu admoto debilitatis et irritabilibus factis, muſculi item univerſi corporis vel quarundam ejus partium, præter ſolitum, debilitantur, et irritabiles evadunt.

PROGNOSIS.

Ex iis, quæ de malis, quæ in inteſtinis vermes efficiunt, jam diximus, nimis apparebit, has animantes non ſolùm morbos vetuſtos inſanabiles concitare, ſed, inteſtina penitus perædendo, ſubitam etiam mortem afferre. Verùm rariùs tamen aliquanto, quàm exiſtimârunt nonnulli, eos perimunt in quorum inte-

ſtinis

ſtinis hoſpitantur: quocirca, cùm iis ſcateant inteſtina, fore ut hinc necati aut vivi faceſſantur, et priſtinas æger recolligat vires, augurari liceat.

Plus periculi ex lumbricis, quàm ex aliis vermium ſpeciebus, timendum eſt; potiſſimùm cùm iis ſcateant infantes, qui, ob ætatem, fluxi et irritabiles admodum, eorum morſiunculis ſæpe morbo comitiali afficiuntur. Etiamſi verò ita ſit, tamen, aſſumptis idoneis medicamentis, faciliùs multo, quàm aliarum ſpecierum vermes, ex inteſtinis eliminantur; iis præcipuè juniorum, qui, abſque incommodo, medicamenta aſſumere poſſunt, quive medicamentis jam aſſumptis nihildum debilitati ſunt. Talibus enim verminoſis eſt a medico præcinendum bonum; provectioribus autem ætate, aut aſſumptis jam medicamentis magnopere debilitatis augurandum malum.

RATIO

RATIO MEDENDI

duo complectitur conſilia; quorum

Prius eſt, vermes necatos aut vivos inteſtinis expellere;

Poſterius, vermibus expulſis, ne nova ſuccreſcat proles, providere; et malis, quæ reliquerint, obviàm ire.

Consilium Prius.

Si, ex nauſea et vomitione et mutabili appetitu, ſit, cur in ventriculo vermes eſſe ſuſpicemur, verminoſus priùs vomendus eſt, quàm ad alia medicamenta decurratur.

De

De omnibus medicamentis, quæ vi vermium deletrice pollere exiſtimata ſunt, differere, nobis profectô minimè neceſſarium videtur. Cùm ita ſit, ea tantummodo quàm pauciſſimis recenſebimus, quæ, ut periculo comperti ſunt peritiſſimi medici, plurimùm contra vermes poſſunt. Hujus generis medicamenta vel ex *terra naſcuntur*, vel ex *metallis parantur*. De utraque ſpecie, deinceps, pauca dicenda ſunt; de illa autem priùs.

Species prior.—*Amara*, quæ ad hanc ſpeciem pertinent, verminantibus multùm proſunt; non enim ſolùm vermes delendi vi pollent, ſed etiam, inteſtinorum motus incitando, foras eós faceſſunt. Hujuſmodi medicamentorum præcipua ſunt aqua cocta ex abſinthio, *tanaceti* ſuccus, et ſemen *ſantonicum*; quæ, etiamſi ad ea rariùs nunc decurratur, olim vermiculatis multùm proficere exiſtimata ſunt. Etiamnum quidem, apud vulgus ruricularum,

ricularum, eorum uſus invalet; neque profectò negare poſſumus, abſinthium et *tanacetum* nobis viſa eſſe vermes, imprimis lumbricos, inteſtinis expellere.

His annumeranda ſunt complura alia, nominatim allium variæque ejus ſpecies, ruta, aliaque his conſimilia. Odor, quem emittunt, vermibus lethifer eſſe putatur. Itane ſit, necne, ex propria utique experientia affirmare non poſſumus. Si vermes reipſa perimant hæc medicamenta, eodem fortaſſe perimere modo, quo alia ſuprà dicta, nobis multo veriſimilius videtur. Si enim vermibus exitioſus eſſet eorum odor, vermes, ubicunque corporis hi habitarent, utique perimerent. Cæterùm res aliter ſe habet; poſt enim hæc aſſumpta, vermes etiamnum vivi non ſolùm in veſica fellis, ſed etiam in ductibus per quos in duodenum fluit bilis, inventi ſunt. Adeo quidem inefficacia nunc omnia, præter ſe-

men

men *ſantonicum*, quod, quippè cùm innocuum ſit medicamentum, etiamnum profectò infantibus vermiculatis a ſcrupulo ad ſemunciam interdum quantitate datur, medici habent, ut ea aſſumenda nunquam curent.

Geoffrææ cortex.—Hic cortex, in quo ineſt vis vermium deletrix, in pulverem tritus, vel aqua cocta ex eo, vel ſuccus ex eo elicitus, vel *ſirupus* verminoſis, dari ſolet. Ad aquam coctam ex hoc cortice, et *ſirupum* ſæpiſſime decurritur; et medici ex his quidem ex eo præparatis illud alii, alii hoc, anteferunt.

Hoc medicamentum ſummis laudibus onerat Rushius, et, ejus efficaciâ longinqui temporis uſu et periclitatione perceptâ, aliud nullum medicamentum tantùm contra vermes poſſe, prorſus exiſtimat. Donaldus Monro quoque, ſe aquam coctam ex eo a vermiculatis aſſumendam ſæpenumero peroptatò curâſſe,

râſſe, teſtatur. Quinetiam, urinam interdum movere, idem auctor perhibet.

Verùm medico curandum eſt, ne hoc medicamentum nimia quantitate aſſumatur. Nimius enim ejus uſus moleſtiſſimam ventriculi ægritudinem, vomitionem, alvi reſolutionem, et interdum quidem delirium effeciſſe perhibetur. Quòd ſi idonea quantitate aſſumatur, nihil ex eo detrimenti verminoſos capere Rushius et Monro teſtantur. A parvis incipiendum doſibus; quæ paulatim, quantùm tolerare poſſit ventriculus, augendæ ſunt.

Quo modo agat hoc medicamentum, nondum ſatis conſtat. Vermibus veneficum eſſe veriſimillimum eſt, eo quòd, poſt id aſſumptum, hi jam necati dejiciuntur.

Dolichos Pruriens.—Hoc quoque medicamentum ex India Occidentali, ubi ex eo

magnam

magnam utique utilitatem verminoſi percipiunt, in EUROPAM importatur. Lanugo villoſa, quæ ſiliquam veſtit, ſola eſt pars, quæ vermes delendi vi pollere videtur; et fæcibus ſacchari vel *ſirupo* quolibet involuta, a granis duobus uſque ad octo quantitate, a verminantibus aſſumitur.

Quomodo vermes necet hoc medicamentum, profectò nondum clarè apparet. Veruntamen, quippe cùm lanugo cuti impoſita pruriginem moleſtam et levem quidem inflammationem efficiat, vermes, eorum fabricam inſigniter lædendo, perimere veriſimillimum eſt; eoque magis, quòd *tinctura* et *infuſio* vermibus minimè æquè exitioſa ſunt. Licèt verò hæc lanugo prurigine et inflammatione cutem afficiat, tamen, id quod in primis mirandum eſt, quodque verum eſſe compluribus periculis comperti ſunt BANCROFTIUS et COCHRANUS, nihil inteſtinis mali affert.

Spigelia Marilandica.—Ex hujus plantæ radice et foliis auxilium contra vermes, in *Fœderatis* Americæ *Civitatibus*, peti ſolet; præcipuè in Carolina Australi, unde in Europam mercatores eam tranſportant. Plurimùm contra vermes pollere, complures auctores, experientia docti, teſtantur. Ut aut ipſa in pulverem redacta, aut aqua cocta ex ea, parcè aſſumatur, ab his auctoribus præcipitur; et profectò parcè aſſumendam alterutram in memoria tenere peropus eſt, quippe cùm ex nimia quantitate inſigne utique detrimentum nervi capiant. Certiores quoque nos faciunt iidem auctores, niſi alvum moveat, nihil omninò commodi ex ejus uſu expectandum eſſe.

Quo modo vermibus exitium afferat *Spigelia*, nondum utique bene intelligunt medici. Cognito autem modo, quo corpus humanum afficiat nimia ejus quantitas, nobis veriſimillimum

mum videtur, itidem in vermes, ut ad mortem uſque torpeant efficiendo, pollere.

Oleum,—quod aſſumendum curârunt nonnulli medici, parum, noſtra opinione, iis, quorum inteſtina lumbricis ſcatent, idcirco prodeſt ; quòd his vermibus non, ut aliis quibuſdam, ſunt ſpiramenta, per quæ aëra accipiant et reddant.

Filicis maris radix—vermibus, præcipuè tæniis, exitioſa diu exiſtimata eſt, præ cæteris autem a Domina Nouffiere ; et vi quidem, contra has, ſpeciali pollere credita. Verùm plus contra tæniam, quàm alios vermes, poſſe, minimè experientiâ conſtat ; imo lumbricis, æquè ac tæniæ, fortaſſe exitioſa eſt. Quantitas quæ aſſumi debet, eſt, prout res poſtulent, ab una ad duas drachmas, varianda ; et, interjectis octo ſive decem horis, alvus acriter purganda eſt. Hoc enim facto, tænia integra

integra ſæpe, inter deſidendum, dejicitur. Certiores nos facit Duncanus, hanc radicem cum *gambogia* conjunctam vermiculatis multùm proficere; et Wallisius quoque his prodeſſe teſtatur.

Nicotianam—multis laudibus proſecuti ſunt medici. Verminoſis quin multum ſanè commodi afferat, dubitari vix poteſt; cùm præſertim non ſolùm quibuſdam viribus vermium deletricibus polleat, ſed alvum etiam vehementer moveat. Cæterùm in hoc, æquè ac multis aliis morbis, raró nunc ad eam idcirco decurritur; quòd, quo modo agat, incertum eſt; et quòd ſive in ventriculum aſſumpta, ſive per anum clyſteris ope immiſſa, ægrum vehementiſſimè et periculoſiſſimè quidem afficit.

Aſſumptis et medicamentis hactenus memoratis, et aliis, quæ dicturi ſumus, e *foſſilibus*

paratis,

paratis, cathartica varia, quæ necatos jam vermes corpore eliminent, adhiberi ſolent.

Gambogia,—quæ inſigni alvum movendi vi pollet, aſſumpta eſt, quò tæniam expelleret. Alvum verò adeo acriter ciet, ut, niſi adultis et robuſtis, tutò dari non poſſit; neque his quidem, niſi, quò minùs ex ea aliquid detrimenti capiant, ſummopere proviſum ſit antè et præcautum.

Aloë—quoque, quò vermes faceſſeret, aſſumpta eſt; ſed, cùm inteſtina craſſiora ferme ſola incitet, lumbricos, quippe qui in tenuioribus potiſſimùm habitent, expellere vix poteſt.

Jalappa—ſine dubio verminantibus multùm prodeſt, utpote quæ alvum acriter cieat, et omnibus ætatibus accommodetur. Veruntamen teneris infantibus non tam convenit,

quàm

quàm adultis. Quoties datur, ut vermes ex inteſtinis fuget, cum *hydrargyro muriato miti* plerumque conſociatur.

Radix Pontica—optimum fortaſſe catharticum eſt, quod infantibus verminoſis dari poteſt. Vi enim aſtringente, qua vix minùs, quàm cathartica, manifeſtè pollet, ad ſiſtendam diarrhœam, qua exhauriuntur plerumque verminoſi infantes, multùm confert.

Species Altera.—Medicamenta e *foſſilibus* parata, quæ digna ſunt ad quæ animum advertamus, nunc quàm breviſſimè enumeranda ſunt.

Ferrum et *Zincum*,—*viridis vitrioli* et *albi* formâ, vermibus exitioſa eſſe, ex quorundam medicorum experientia ſatis profectò conſtat; licèt, ut has animantes necent, rariſſimè nunc adhibeantur.

Cuprum.

Cuprum—et ex eo præparata, ut vermes delerent, dare olim mos erat. Cæterùm, cùm hoc metallum vires nocivas poſſideat, et humano corpori ſæpe inſigniter noceat, nihil de eo amplius dicemus: ſed pergemus potiùs aliqua de hydrargyro dicere; eoque magis, quòd plurimùm contra vermes pollet, et etiam infantibus abſque periculo dari poteſt.

Hydrargyrum,—et varia ex eo præparata, in auxilium contra vermes vocare diu mos fuit: et meritò quidem; quippe cùm, ut ex experientia conſtat, medicamenta plerumque efficacia admodum ſint, et, ſi cautè adhibeantur, ſatis tuta.

Ex præparatis autem nonnulla ſunt, præ cæteris, efficacia. *Hydrargyrus cum Sulphure*, profectò mite ſatis eſt medicamentum, et infantibus verminantibus bene convenire dictum eſt. Cæterùm prodeſſe noſmetipſi nunquam

vidimus; et, ſi ex periculis de eo incaſſum factis judicare liceat, parum, ſi aliquid, contra vermes, qui, intra corpus, vitæ perquam tenaces noti ſunt, poſſe cenſemus.

Hydrargyrus Muriatus mitis—infantibus plerumque optimè convenit. Non ſolùm enim tutum eſt medicamentum; ſed omni etiam ætati accommodari poteſt, et certam vermibus mortem ſemper affert.

Hydrargyrus Muriatus,—pillularum formâ, profectò, mirum in modum, vermes delet, et ab adultis tutò aſſumi poteſt. Ob verò acrimoniam, quæ ei ineſt, et debilitatem quam, cùm in ventriculum introferatur, interdum efficit; infantibus, quorum inteſtina ob ætatem ſunt perquam irritabilia, vix, et profectò ne vix quidem, dari poteſt.

Si,

Si, incipiente morbo, hydrocephalos internus ſit, an verminatio, animo incerti ſimus, tùm ad hydrargyrum, quippe qui, alterutro morbo urgente, præ cæteris omnibus medicamentis, proficiat, primo quoque tempore decurrendum eſt. Doſis eſt, pro gradu ſignorum, varianda.

Stannum,—aſſumere eos, in quorum inteſtinis hoſpitabatur tænia, Alston et Meadius primi monuerunt. Diu autem medicis mos fuit præcipere, ut, lumbricos quô necet, aſſumatur. Ludovicus, et alii multi medici præclari, exiſtimârunt, facultatem vermes delendi, qua pollet, eſſe arſenico, quod ei inſit, attribuendam. Hanc verò opinionem non eſſe probabilem, idcirco credimus; quòd perparvam profectò arſenici quantitatem ei ineſſe, et inſuper quantitatem, quæ utique inſit, ſtanno adeo uniter conjungi, ut, viribus vixdum mutatis, per ventriculum et inteſtina, deſcen-

dat, certò cognovimus. Inter omnes ferme medicos nunc convenit, ſtannum vermes *mechanicè* necare; quam opinionem firmat Blackius, *chemicus* apprimè præclarus, qui arſenicum acidis ægrè admodum liqueſcere, et non, niſi his liquefactum fuerit, vi deletrice pollere, cenſet.

Consilium Secundum.

Quò præcaveatur ne verminent inteſtina, et quò, vermibus hinc expulſis, obſtetur ne ſuccreſcat nova proles, hominibus herbis non coctis, immaturis frugibus, aliiſque quibuſlibet quæ poſſunt, ut viveſcant et vigeant, efficere, interdicendum erit.

Exiſtimant nonnulli auctores, lactantibus, quàm aliâ ullâ diætâ, vermes multo citiùs

et

et magnitudine et numero creſcere. Rem ita eſſe, veri profectò ſimillimum eſt; propterea quòd *chylum*, liquorem utique lacti non ſolùm colore ſed etiam ſpiſſitate haud abſimilem, ſorbent.

Ne vermes intus viveſcant et vigeant, infantibus pueriſque, quibus gratum ſit, liceat ſaccharum magna quantitate edere; quippe quod, ut putant nonnulli, in primis Rushius, eorum generationi multùm obſtet. Auctor hic celeberrimus, ſtrenuus apprimè medicinæ cultor, de ſaccharo diſſerens, hiſce verbis loquitur. "The plentiful uſe of ſugar, is one "of the beſt preventatives that has ever been "diſcovered of the diſeaſes, that are produ"ced by worms. The author of nature ſeems "to have implanted a love for this aliment "in all children, as if it were to defend them "from thoſe diſeaſes. I know a gentleman "in

"in Philadelphia, who early adopted this "opinion, and who, by indulging a large fa-"mily in the uſe of ſugar, has prevented "them all from the diſeaſes uſually occaſion-"ed by worms."

Cùm in aqua inventæ ſint *aſcarides*, cavendum eſt, ut nulla, niſi pura, pro potu bibatur.

Ne, vermibus quidem expulſis, revaleſcens ſe ex eorum effectibus malè habeat, corpus quàm primùm roborandum eſt. In hunc finem, diætâ lautâ, juſculis nempe nutrientibus, aſſumptis ſimul parca haud manu aromatibus, victitandum eſt. Pro potu communi bibatur vinum aquâ dilutum, vel cereviſia fortior *Londinienſis*.

Eodem tempore habenda eſt munditiæ ratio; et, ubi purus eſt aër et ſiccus, ſi offeratur

tur occaſio, ibi vivendum. Proderit quoque multùm aſſumere quædam, ex iis quæ corpus roborant, *Cinchonæ* nempe corticem, amara, et ex ferro præparata. Utiliſſimum denique erit in balneum frigidum ſubinde deſcendere; corpus ſub jove frigido, quotquot eunt dies, exercitare; et medicamentis, ex iis quæ leniter ſolvunt, alvum, ſi moretur, identidem vel movere vel ſubducere.

FINIS.